

32

expressè choreas inter beneficia pacis refert, ubi virginibus juvenes in ipsis choreis adjunguntur, explicantibus ita *Danbauero* in *Hodomoria Spiritus Calvinian.* p. 1294. *Nostro Fechtio* In Collegio suo Antipiet. p. 2 & *S. helgwigio* in Synopsi, adde Autorem des *Tractats / das das Tanzen Betreten wird / und zu Langen Salza gedruckt ist.* Notandum quidem, quod nonnulli ex Theologis nostris de spirituali gaudio hoc dictum explicent, qui tamen neutiquam favent Pietistis. Hi enim ideo spiritualiter interpretantur hunc locum, ut saltandi genera eo solidius reprobare possint, illi verò ex aliqua libertate Exegetis meritò concedenda hoc faciunt & saltationes alioquin non improbant, sed potius defendunt. vid. *Lucas Osiander* in Commentario ad hunc locum, qui licet eundem etiam spiritualiter explicet, saltationes tamen defendit. Et posito, non verò concesso, si hic locus spiritualiter esset explicandus, tamen hoc sequeretur, quod saltationes à Christiano salva conscientia usurpari possint; cum quo enim gaudium spirituale comparatur, nec ullibi tanquam res indecora rejicitur, illud per se peccatum esse non potest. Blasphemum enim esset in sanctissimum Numen si aliquis hoc simili uti vellet, Deus tali amore prosequitur fideles suos, quali scortator meretricem suam; vel dicere, Deum permittere posse adulteria, latrocinia, cultum idolorum & similia, quæ deinde spiritualiter sint explicanda. Plurima argumenta Theologi nostri tam Veteres quam Recentiores adversus Calvinianos atq; Barclajum collegèrunt, ut *Meisnerus* in Collegio Adiaphoristico Disp. 12. & in *Philosophia sobria* parte 1. sect. 2. cap. 4. quæstione 1. *Danbauerus* in *Hodomoria Spiritus Calviniani* p. 1294. *Durrus* in *Compend. Theologia Moralis* pag. 210. *S. helgwigius* in Synopsi pag. 383. seq. Et in *Quackerismo* confutato p. 298.

§. IV. Adhæc auctoritas Lutheri non immerito opponitur